

100 ans

ZONTA

100

YEARS

Post quorum necem nihilo lenius ferociens Gallus ut
leo cadaveribus pastus multa huius modi scrutabatur.
quae singula narrare non refert, me professione modum,
quod evitandum est, excedamus.

Primi igitur omnium statuuntur Epigonus et Eusebius ob nominum
gentilitatem oppressi. praediximus enim Montium sub ipso vivendi
termino his vocabulis appellatos fabricarum culpasse tribunos ut
adminicula futurae molitioni pollicitos.

Et quia Mesopotamiae tractus omnes crebro inquietari sueti
praetenturis et stationibus servabantur agrariis, laevorsum flexo
itinere Osdroenae subsederat extimas partes, novum parumque
aliquando temptatum commentum adgressus. quod si impetrasset,
fulminis modo cuncta vastarat. erat autem quod cogitabat huius
modi.

His cognitis Gallus ut serpens adpetitus telo vel saxo iamque spes
extremas opperiens et succurrens saluti suae quavis ratione
colligi omnes iussit armatos et cum starent attoniti, districta
dentium acie stridens adeste inquit viri fortes mihi periclitanti
vobiscum.

Apud has gentes, quarum exordiens initium ab Assyriis ad Nili cataractas porrigitur et confinia Blemmyarum, omnes pari sorte sunt bellatores seminudi coloratis sagulis pube tenus amicti, equorum adiumento pernecium graciliumque camelorum per diversa se raptantes, in tranquillis vel turbidis rebus: nec eorum quisquam aliquando stivam adprehendit vel arborem colit aut arva subigendo quaeritat victum, sed errant semper per spatia longe lateque distenta sine lare sine sedibus fixis aut legibus: nec idem perferunt diutius caelum aut tractus unius soli illis umquam placet.